Quelle: http://manuscripta.at/?ID=36451
Copyright: Melk, Benediktinerstift

deribus et pro despectione sacrilegium perpetrare, et pro legum abusione contemptum. Nisi preceptis satis feceris, hec omnia sanguinis tui placabit effusio. Simphorianus respondit: Nunquam ego hanc ymaginem nisi diabolice persuasionis infaustum simulacrum et publice perditionis execrandum demonem iudicabo, in chaos semper sentina vergente collabitur. Quisquis christianus damnatis passionibus deterioris vite mala retrorsum conversus aspexerit, statim divino gradu semita exorbitante iactatus, et preparati muneris gratia destitutus, antiqui hostis retibus patebit. Deus noster ut novit remunerare merita, ita novit punire peccata. Nomini suo obedientes vivificat, et rebelles interficit. Sincerus confessione firma stabilitate perdurante totum mihi est sempiterni regis portum tenere, quam mortiferum diaboli sevientis intrare naufragium.

Ubi vidit iudex sanctum Simphorianum iussionibus suis non prebere famulatum, iussit eum a lictoribus cedi et carceri mancipari; quem cum pendinatis diebus conspectui suo iubebat offerri. Producebatur e tenebris filius lucis de illo vestibuli feralis ergastulo cum eterno rege semper in eternitate mansurus. Acrioris verberis liventium lictorum macie cutis attenuata laxaverat, et dum animum suum ad superna gaudia alacritatis attolleret, inter beata supplicia non minus fuit consumpsisse sanguinem quam fudisse. Iudex dixit: Quantum video rectius faceres Simphoriane, ut inmortalibus diis serviens muniatum te ex erario publico nobilis militie splendor attolleret. Qui nisi hodie venerandum dee matris genium prostratus adoraveris, Apollinis etiam et Diane sublimium numinum venerandas adorare fores, a lancea sertis redimere, iubemus altaria thure odoribusque incensis sacrificia digna dissolvere. Simphorianus respondit: Non debet iudex cui commissa est res publica frivolis sermonum sermocinationibus subiacentem proferre sententiam. Si periculosum est non quotidie ad perfectum anime aliquid addere, quanto periculosius est a salute discedente in scopulos peccatorum naufragio vergente colidi. Iudex tribunal suum polluit, qui gladius legum latrocinatur in publico, anime sue mortem perpetue calamitatis infligit, et vita omnium perennitatis opprobriis referta maledictis, ut semper lamentetur fama pullulante non moritur. Vitam quam Christo soluturi sumus ex debito, solvamus ex voto. Sera penitudo est sub iudicis tremuisse conspectu. Munera enim vestra fugati mellis permixta tanquam dulcedinem incredulis mentibus venena parturiunt. Divitie vero nostre semper in Christo sunt; que sunt caduca per temporis vetustas diuturnitatis ipsius labefactatione corrumpit. Cupiditas autem vestra omnia habendo nichil possidet, quia diabolicis delegata facultatibus infelicius lucri cupiditatibus detinetur. Nam nihil in hoc mundo secum discedit humane fragilitatis conditio. Gaudia temporum vestrorum in similitudinem vitri, cum ceperint splendere franguntur. Quicquid finis infimit casus involvit. Cum eterna mundi vertigi